

Serie Generale 167

(ST) Anno Domini millesimo .CCXLV., inditione tercia, in Montecalerio, die veneris .XIII., intrante octubrio. In plena credentialia Montiscalerii, more solito per campanam collecta, dominus Guillelmus Liberellus iudex et dominus Cumradus miles gerentes vicem domini Ferrarri Canis imperialis potestatis Montiscalerii et universi et singuli qui erant in credentialia quorum nomina subter leguntur nomine et vice tocius universitatis et communis Montiscalerii fuerunt confessi se habuisse et recepisse ex causa mutui de pura sorte a Iohanne Marcoaldo libras .XLIIII. secusiensum bonorum profitentes et asserentes predictam pecuniam versam fore et durasse versam et expensam in utilitatem et pro utilitate dicti communis nominatim pro faciendo servicio et succursu domino imperatori et pro solucione militum et balisteriorum qui ibant in obsidione Mediolani pro domino imperatore nec aliunde comodius poterat dicta universitas pecuniam recuperare ad solvenda stipendia dictorum militum et balisteriorum, quos denarios promiserunt per stipulationem nomine et a parte dicti communis reddere et solvere usque ad quatuor menses nisi per ipsius parabolam remaneret de inde vero in antea quamvis allongamentum haberent ab ipso creditore tamen promiserunt per stipulationem eidem solvere nomine pene denarios sex singulis mensibus pro una quaque libra et insuper dampnum et expensas et mutuum et interesse quas et quod faceret aut substineret pro iamdicta pecunia recuperanda iudicio vel extra, mutuo vel cambio vel quolibet alio modo suum expendendo, credendo ei in suo verbo sine omni proba et sine testibus et sacramento, pro quibus omnibus et singulis observandis obligaverunt pignori dicto nomine omnia bona dicti communis et specialiter molandinorum redditus eorundem, nonobstante sibi specialis pignoris obligatione in aliis bonis, ea condicione et pacto quod custodes vel superstites molandinorum qui nunc sunt, silicet Filippus Panconus et Villelmus Marcoaldus debeant colligere fructus et godias molandinorum et eos cohadunare et conservare nomine dicti creditoris quoisque habuerit ad suam voluntatem integrum satisfactionem tocius sortis et pene commisse et expensarum et interesse, renunciantes exceptioni non numerate pecunie et minorum privilegio et omni exceptioni et racioni qua possent contravenire, addito et expresso quod aliquod capitulum in statuto Montiscalerii scriptum vel scribendum faciens mencionem de usuris vel de molandinis non obligandis seu aliud^{1[1]} quodlibet quod possit sibi nocere locum non habeat contra ipsum set cassatum sit quantum ad istum contractum ex certa scientia credendariorum ita quod nulli persone absque voluntate dicti Iohannis possint vel debeant dari vel expendi fructus molandinorum predictorum nisi forsam pro refectione eorum quo usque habuerit solutionem ut dictum est. Et pro inde in omnem causam fideiussores et principales debitores se constituerunt dominus Mainfredus iudex, Iacobus de Montefalcone, Peracius de Romano, Donatus et Iacobus de Trofarello sub obligatione et ypoteca bonorum suorum qui promiserunt per stipulationem et in solidum solvere et atendere omnia supradicta conventa, renunciato ab eis in hoc facto nove constitutioni qua dicitur quod principalis debitor et cetera et alii nove constitutioni de pluribus reis et epistule divi Adriani et omnibus legum auxiliis et specialiter illi statuto vel capitulo per quod se posset deffendere fideiussor etiam si se principalem constituerit debitorem, que omnia in singulis capitulis observare et atendere et deffendere proventus molandinorum et omnes alias Montiscalerii ad solutionem dicti debiti et nullo tempore vel ex aliqua causa contravenire promiserunt predicti quatuor^{2[2]} super animam suam et Vercellinus nuncius voluntate et precepto dictorum credendariorum super animas eorum iuravit. Nomina vero credendariorum sunt hec: Gorius, Papalardus, magister Vacius, Albricus Truna, Manoel, Sucius de Romano, Nicoletus Bergognonus, dominus Ruffinus de Montafia, Bergundius de Romano, Villelmus de Piro, Iohannes Vasconus, Nicoletus Puncillonus, Iacobus Piperarius, Desperius, Boso de Castro, Gavarrus notarius, Fredericus Calpexanus, Ramaci, Maçola, Ardicio de Gavarro, Garroninus, Valfredus Calvus, Filippus de Dominarum, Iordanus Platus, Ubertus saccus, Vitelminus Granerius, Obertus Pixanus, Odinus Binel, Filippus Panconus, Iohannes de Serra et Petrus Magnus^{3[3]}.

Testes ibi fuerunt rogati: Palmerinus filius condam Iohannis Çopeti et Petrinus de Pracarasca.

Et ego Bergundius saccus notarius hanc cartam rogatus scripsi^{4[4]}.

^{1[1]} segue, espunto: *capitu(lum)*

^{2[2]} segue, espunto: *omnes*

^{3[3]} segue, di altra mano: *die martis .VI. in febroario habuit de hoc debito a filio suo Villelmo libras .VIII. et ab Filipo Pancono libras .XXIII.. Il riferimento cronologico è all'anno 1246.*

^{4[4]} segue, di altra mano: *die dominico .VIII. in aprilio recepit ab Uberto Sacco libras .XIII. et solidos .X. et denarios .X.. Il riferimento cronologico è all'anno 1246.*

